



J. N. J.

## PROOEMIUM.

**H**X quo tempore in Ec-  
clesia Romana omnia unius domi-  
nate, vel tyrannide potius, & libidi-  
ne tenentur, quo, inquam, una in-  
valuit unius hominis per divini verbi contemptum  
auctoritas; adeo indies Pontificiorum impietas  
crevit & superstitio, nescio quam sanctitatis & My-  
sterii speciē præ se ferens, ut nunc Papismus omnis,  
præter pietatis & religionis nomen aut speciem, re-  
liquum aliud nihil habere videatur. Plena enim  
nunc omnia sunt confusionum, & quasi turbinum,  
qui sacra deturbarunt omnia, & uno velut impetu  
prostraverunt. Turbata in Papatu & perturbata  
sunt omnia, omnia infima evecta, deiecta vero &  
prostrata, quæ debebant eniti. Mista, inquam, sunt  
ima summis & commenta hominum oraculis divi-  
nis, decreta conciliorum Canonicis Prophetarum  
& Apostolorum scriptis, vox hominis maxime im-  
pii,

A

pii,